

PROOEMIUM.



EXACTO AB APPARITIONE EIVS STELLÆ, DE QVA LIBRO SUPERIORE egimus, integro quinquennio, Anno videlicet à nato CHRISTO 1577. labente, Mensis Nouembris diem circiter decimum, alia quaedam insolita & à priore longè diuersa Stella, prolisos effundens crines, iuxta occasuram Cœli partem ostendebatur, cuius corpus erat rotundum, lucidum, & albedine quadam subliuida conspicuum. Cauda verò, quæ plurimum versus Ortum quasi in oppositas Soli partes protendebatur, rubicundioribus radijs flagrabat, eòq; densioribus magisque apparentibus, quo capiti propiores erant; circa extremitatem verò rariores minus lucis & coloris oculis insinuabant. Erat insuper incuruata non nihil ipsa cauda, ita vt conuexitatem Zenith, concauitatem verò Horizonti obuenteret.

Hanc Stellam caudatam ego in hac Insula celebris illius Porthmi Danici Hvenna (quæ exteri Scarlatinã nuncupât) primùm Die XIII Nouëbris Anni 77, idq; hac occasione animaduerti. Paulò ante Solis occasum, cum instante cœna aduinarium quoddam nostrum piscium capture animi gratia assisterem, intereâ dum rete trahitur, occiduam Cœli plagam diligentius intueor, si fortè serenitas nocturna consuetam nobis Cœlestium corporum Observationem sponderet: En ex improviso percipio Stellam quandam illis emicantem, satisque manifestè apparentem, non aliter quàm Hesperus Terris vicinior, Sole declini existente, interdum etiam sæpenumerò ad Ortum Occasumue se videndum prebet. Nondùm enim crines ullos Stella (de qua loquor) adherentes animaduertere licuit, eò quòd lux diei ob Solem nondum infra Horizontẽ demersum tenuius illud crinium capiti adherentium iubar offuscaret. Attonitus hoc novo spectaculo Stella peregrine euidẽ-